Typis J. Quillau, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1723.

QUÆSTIO MEDICA, 29.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 18 Novembris 1723.

M. NIC. LE ROY DE S. AIGNAN, DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An Morbus hæreditarius Arte sanabilis?

I.

ANIMALIS vita, fluidorum jugis, placida Circuitio: Solidorum æqua occillatio: utrorumque motus alternatim vigens. Illa modò solidorum systaltico premuntur, quassantur, teruntur, truduntur motu: hæc modò renitentis undique fluidi experiuntur vires. Ex hâc, inter utraque, libratione, functionum integritas. Fluidum, pro redundanti vel vitiatâ mole, solidi elaterem gravando, aut lacessendo, utriusque diruit commercium. Solidum vividiùs, imperiosiùsque in fluidum agendo, hujus nimis agitat molem, & circuitionis & secretionis pervertit motum. Fluidi dilutior, aquosior crasis, solidi eludit ictus, quos hebetat, obtundit: unde fluidi malè subacti vitium, quod in vasis minoribus stagnationem, mox in majoribus creat phlogoseos causam. ex alterutro, à genio deflectenti, morbus, qui major, diuturniorque, ubi à solidorum, vel imbecilliori, vel rigidiori, vel immutatâ structurâ, sobolescit.

II.

UT ex reciprocâ & æquâ solidorum ac fluidorum libratione pendet secretionum opus; sic ab interruptâ, inæquali, languidiori, feriatur, elanguet aut aberrat, unde varia morborum variè debacchantium cohors. Sanguis uberior, graviorve, sæviora inducit symptomata morbosque acutos, uti lethargum, appoplexiam, anginam, pleuritidem, milleque phlogoseos hujus, aut illius partis, omniumve simul & semel, signa & effectus promit. Salibus fœta sanguinis crasis, pro aculeis, membranas lacessendo, nervorumque adigendo systema, tensionem, crispaturas, dolorem, inflammationem, motus anomalos, subsultus, artuum tremores infert. Viscidior, motui solidorum obnitendo nimis, horum hebetat elaterem, hinc pro imbecilliori solidorum, pro fluidorum lentiori, glandularum Emphraxis, quæ nisi ad resolutionem, aut suppurationem citò ducatur, mox ad Scirrhum vergit. Fluidorum mutationi utpotè obnoxia crasis, pro rerum non naturalium abusu, morbis ut plurimum dat ansam, & originem. Ab animi pathematis gravissimi morbi, qui nisi citiùs solvuntur, in chronicos degenerant; unde affectus melancholici, hypocondriaci, hysterici. Aër utpotè intùs & extùs, tùm solida, tùm fluida, afficiendo (prout iis illisve fœtus miasmatis) fluidorum citiùs subigendo crasim, ac solidorum (pro elateris vi aut ignaviâ) corrugando, aut relaxando texturam, varias partibus inurit labes. Quæ solidorum corrugant elaterem, acutos invehunt. Quæ emolliunt rela-

xantque, chronicos inducunt affectus. A corrugatione motus convulsivi, membranarum distensio, punctura, phlogosis, omnium secretionum vel feriatio, vel perversio. A relaxatione, fluidorum iners, malè horum defæcationi sufficiens motus, unde glandularum, vasorum lymphaticorum infarctus, sanguiferorum coarctatio, nervorum constrictio quæ scirrhosus sæpiùsque cancrosus excipit, & sequitur tumor. Fluidorum vitiata crasis, non sibimet infensa solùm, sed suam brevi solidis infert luem; hinc quæ non à primo morbi insultu emendatur, sensim solidis vim infert, quæ paulatim à texturâ, quin & nonnunquam structurâ deflectunt: quæ non soli individuo peculiaris lues, imò cum vitâ in posteris sobolescit, eamque veluti primum à parentibns suscipiunt prædium nepotes, nec in posterum ullâ debellandam arte quam ea quæ causam tollere, aut saltem ejus effectus præcavere par erit.

III.

IN semine, omnium partium delineamenta, aut potiùs ipsæmet partes tenuissimæ, fluidi more atque vaporis flexiles. In utroque sexu eædem (quæcunque adversùs neoterici excogitarunt systemata) antiquitatis aut potiùs naturæ fidem nullatenùs eludunt. Asinus & equa, tertium quid seu individuum parentum utramque speciem seu formam, & similitudinem referens, procreant. In hominibus idem: ex Europei & Æthiopissæ connubio, fusca progenies, utriusque coloris particeps. Semen igitur non ineptè omnium partium corporis quid deciduum dixeris, illarum structuram, atque virtutem continens; hinc non solùm speciei conservatio, verùm filiorum cum parentibus similitudo; hinc certa temperamenta, certi animi affectus, quæ parentum servant in natis formam, dùm sui stant juris, dum verò ab illâ desciscunt, cùm vis externa, aut interna insultus in eam ciet graves, nec unquam amissæ, vel figuræ vel structuræ, vel virtutis damnum resarciunt, solius Naturæ credita viribus. Hinc hereditarii morbi, dùm patentum misera stat proles usque reviviscunt. Epilepsiæ primi insultus, eam vim nervorum systemati, & cerebro incutiunt ut mox pro minimâ motatione concutiantur, tremant; unde suam penitùs àmittendo flexilitatem, rigescunt, sicque ut eadem ad nepotes transeat rigiditas; hinc Epilepticus Epilepticum procreat. Cranii strictior textura, cerebri vaporibus seu materiæ perspirationi præcludens exitum, quæ in menyngas stillando, has stimulat & convellit, Epilepsiæ nonnunquam causa; quam Cranii perterebratio, in spiraculi munus, solvit & aufert; ossea fungosave Calvariæ intùs adnata tubera, menyngas premendo, pungendo, teste experientiâ, sæpè epilepsiam invehunt. Sanguis dilutior, salibus turgens, membranas adigendo, nervorum, atque tendinum contracturas creat, quæ in partes (harum infirmando elaterem) seri decubitum promovent; quod prout hoc illove turget sale, dolores artriticos invehit, quorum recurrit frequens paroxysmus, prout fibrarum magis debilitatus elater, quæ seri denuo depluentis illuvie, non solùm elaterem, aut structuram, imò ipsammet figuram amittunt. Hinc tophi, gangliones, exostoses, artuum contracturæ. Calculosi affectûs eadem penè ratio; hujus enim genesis modò à viscidâ colluvie in renum glandulis ac pelvi, ut aiunt, stagnante & concrescente, pro laxiori glandularum, modò econtrariò, pro strictiori texturâ, sanguini & lotio vix patet aditus solisque aquosis partibus datur, dùm sulphureæ, salinæ aliæque cujuscumque molis aut figuræ, sese invicem irretiendo, moram ne-

ſtunt. Hinc calor renum, dolor punctorius, vomituritio, vomitus, ob nervorum ſympathiam, atque crurum obtuſus dolor. Etſi ſolâ Herculis clavâ videantur debellandi tot gigantei affectus, hos tutò tamen, ſi non citò profligabit, aut præcavebit Medicus, qui pro mentis ſagacitate horum cauſas, ſaltem ex ſymptomatum ferociâ & invadendi more, cautus dignoſcet.

IV.

RERUM cauſas utpote naturæ latentes theſauros cognoſcere rarò & ſolùm homini ſuperis dilecto datum. Ex effectibus alii pro mentis acie, ſtudio atque ſcientiâ rimantur cauſas, & evolvunt. Ea morborum dignoſcendorum vera lex & norma. Symptomata, morbum, cauſam & eventum ſagaci Medico exhibent. Qui morbi cauſam noverit, num,illam tollere aut ſaltèm temperare, penes ſit Medicinam,dijudicat. Mala partium conformatio,ut in gibbis, ſymptomata profert,quæ (etſi cauſa,nullâ arte ſit ſuperabilis) Medicinæ tamen legibus, miteſcunt; hinc fluidorum imminuendo molem,fluidiorem efficiendo,dyſpnœa aliique lethales(qualis ſuffocatio,peripneumonia,phthiſis) præcaventur eventus. In Epilepſiâ, infantum maximè, quam capitis gravitas,dolor obtuſus, lacrimæ ſpontaneæ, ad ſomnum invita propenſio, faciei pallidus, albus, color, oculorum intumeſcentia, glandularum cerebri laxiorem indicant texturam, & ſeri exundantis ſtagnationem, quod per alia corporis incernicula, emungi poſtulat, hinc phlegmagoga,diuretica,fonticuli,uberius exhauriendo ſerum, medulloſa cerebri firmatur textura;unde genuina Epilepticorum ſanatio. Quam verò dolor capitis acutus, perſeverans, lancinans, vigiliæ, concomitantur; extraneum quid, menyngas pungens declarat, uti calloſam, fungoſam, oſſeamve intra calvariam adnatam molem, purulentam, verminoſam, quæ Cranii perterebratione,eam (ubi ſeſe oculis dat obviam) eximendo,ſolvitur. Quæ, ſeu ſtatis ſeu incertis Lunæ phaſibus, nullo ſymptomatum inſultu prævio recurrit, nervorum ſtamina corrugata nimis, motui tremulo nimis obnoxia fluidorumq; certis ſalibus fœtam craſim indicat,quæ ſui facta juris,pro aculeis, nervorũ & membranarũ ſtimulando ſtamina, partes, quibus motum impertiunt, exagitant concutiuntque,cujus medela ſunt ea quæ ſulphurum volatilium evolutionem, exploſiones impedire, ſalium aciem obtundere, nervorum ſtamina emollire valent, uti oryzata, amygdalata; abſorbentia alcalina, uti cranium humanum, pœonia, viſcus quernus, cynnabaris nativa; ungula alces, &c. quæ à partibus extremis primos inſultus epilepticos ad cerebrum uſque protendit, in hac nervorum propagines hiſce in partibus rigidiores, tremulaſque nimis arguere eſt; quibus torporem, per balnea, fotus anodinos, narcoticos,inducendo Ars medetur. Arthritim,morbum hæreditariũ hactenus habitam, ex ſymptomatum ſignorumque indole, hujus cauſam dignoſcendo Medicus curat, præcavet penitùſque nonnunquam ſolvit, quæ enim à ſero lixiviali orta,eam imminente paroxiſmo dolor pungens, has modò, modò illas partes agit,febris,ſitis, cutis ſiccitas, urinæ Lympidæ,aut flammeæ, vigiliæ prænuntiant ſtipantque: æſtate, imprimis ſiccâ, recrudeſcit, vini tenuis & generoſi potu, cupediis, ſalitis, ac piperatis, irâ, venere immodicâ ſævit & exaſperatur; illamque avertit & præcavet dulcis & humectans diæta, illamque ſolvit idem vitæ genus, ſanguinis repetita miſſio, dulcis & humectans,oleoſus, articulis adhibiti fotus. Quæ ſeroſæ illuviei in partes ſive articulos laxiores decubitum cauſam habet, tenui & ſiccâ diætâ præcavetur & ſaneſcit; hinc identidem hydragoga,

phlegmagoga, exſiccantia, uti decocta lignorum ſaſſafras, Radicis ſarſaparillæ, &c. ad ſerum, per ſudores urinaſve, ciendum feliciter uſurpantur, non minùs ac fotus articulis moderatè calidi. Hac arte partium redintegratur vigor, Tophi, Gangliones, Exoſtoſes, Enchyloſes, artuum contracturæ præcaventur, quæ ſi ob errorem in diætâ jam enata ſint, horum ſiſtitur progreſſus ſymptomata præcaventur, effectuſque miteſcunt; nec ullum dixeris morbum ſeu inſitum ſeu aſcititium, cui non opem ferat Medicina, dum Natura vigeat ſatis ut medicamentorum virtutem dirigat atque moderetur.

V.

AT nonne ſibi repugnat morbi hæreditarii & morbi ſanabilis idea? Nonne morbos innatos per totius vitæ decurſum ſuam vim exerere teſtatur experientia? Nonne de hiſce morbis, quidquid de temperamentis (nullâ emendabilibus arte) judicandum? Temperamentorum vim aut potiùs cauſam evelli & immutari non fruſtra Medicina audet tentare; etſi non à fluidis (uti veteribus placuit) illorum repetenda origo; imò acertâ ſolidorum ſtructurâ aut texturâ potiùs horum ſpeciem & diſcrimen aſtruenti. Hepatis glandulæ vel ob ſtrictiorem vel laxiorem texturam, ſanguinem à partibus oleoſis & reſinoſis repurgando impares, bilioſam fluidorum conſtituunt diatheſim, bilioſam idioſyncraſiam, cujus nihilominùs vis retunditur, tum humectantis, diluentis ac dulcis diætæ auxilio quæ bilis ferociam coercet, ſales ſolvit, quibus partes ſolidæ rigeſcunt, fluida concreſcunt, medicamenta exhibendo, quæ bilem per ſeceſſum ejiciunt, uti cholagoga, quæ glandulas hepatis reſerant, uti aperientia, quæ illarum laxiorem firmant & reſtituunt tonum, uti martialia, quæ ſicciorem ſtrictioremque emolliunt elaterem, uti Oryzata, Amygdalata, Hordeacea: ſicque mali prima deletur labes, ſicque effectus ſeu ſymptomata evaneſcunt ac idioſyncraſia nova exurgit: idem de cæteris temperamentis ſentias, quorum cauſam, ex ſignis & effectibus cognitam, penitùs tolles; ſin minùs, ſymptomàta præcavebis, novam fluidis indendo craſim ſolidaque ad debitum elaterem reducendo. Teſtem adhibes experientiam? Eandem in rei fidem lubens mitto, nonne parentes certi temperamenti, liberos alius & planè diverſi quotidie ſuſcipiunt? At ex parentum diverſâ idioſyncraſiâ, aut à ſolâ matre, per geſtationis tempus, certum vitæ genus agenti, aut à diverſi temperamenti nutrice repetendum, forſan dixeris? Eſto ergo ex diverſâ vivendi ratione, ex diverſâ principiorum miſcellâ, quid exurget diverſum? Aſt an alius Medicinæ ſcopus?

Ergo Morbus hæreditarius Arte ſanabilis.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Thomas-Renatus Gaſnier.	*M. Petrus Maloet, Regis Conſiliarius & Medicus, necnon Domûs Regiæ Invalidorum Militum ordinarius.*	*M. Franciſcus Geuel.*
M. Philippus Davier de Breville.	*M. Ludovicus-Simon Emmerez.*	*M. Urbanus Leaulté.*
M. Jacobus Trant, Regiæ Scientiarum Academiæ.	*M. Guillelmus de Magny.*	*M. Franciſcus Picoté de Beleſtre.*

Proponebat Pariſiis, LUDOVICUS COSNIER, Flexienſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1723. à ſextâ ad meridiem.